


[illegible]

[illegible] dal Padre [illegible] mio [illegible]
non è [illegible] madama [illegible] che è [illegible]

I giorni nella [illegible] mattina, [illegible] consegnato li 8. fiaschetti di
vino [illegible] il Rodo, e il fagottino piccolo con un Taccuino, Lu-
nario, [illegible], e due involtini, che lega il S.r Rod.o [illegible]
[illegible] in [illegible]. Il S.r [illegible] me l'ha [illegible], e que-
sto [illegible] mandi [illegible] di Macerata. Il S.r Dom: Fiscale mi [illegible]
che il Libro di Lettere l'averebbe [illegible], e tutti li altri ancora, ma
che aspetta lei. Il Giovannelli non ci [illegible] ancora il Tomo dei
Fasti [illegible] fatto Generale il P. Cosini, dice che bi-
sogna [illegible] accio dia l'ord.e al P. [illegible], ma per adesso
non è tempo [illegible] in dagli affari.

Il Sig: Dom: Perini mi disse che non aveva ordini di pagare, ma
che averebbe veduto con le Lettere stamattina, se vi fosse [illegible]

APPIANI BONAFEDII

A. C.

# DE CAELESTINI GALIANI

*ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS*

VITA

## COMMENTARIUS.





FAVENTIAE MDCCLIV.

Typis Benedicti Impressoris Episcopalis necnon Academiarum Remotorum, ac Philoponôn.

*Superiorum permissu.*



HONORATORUM VIRORUM LAUDES MEMORENTUR.

*M. T. Cicero de Legibus* Lib. II. 14.





Laris Viris uſu ſaepe venit, ut poſteaquam integritate morum & rerum praeclare geſtarum gloria coercuerunt omnem invidentiam, demum pulſentur illo ſcommate, novos eos quidem eſſe homines, terrae filios, in trivio natos. Haec ferme abjectiſſima nota jam olim *Galiano* inuſta eſt à male feriatis ſtemmatum quaeſitoribus, quos per ſummam fatuitatem praeteribat ingenium ſolidae nobilitatis. Ut vero neceſſe non eſt occurrere iſtis ineptiis; ita fides hiſtoriae mittere omnino non ſinit, Gentem *Galianam* pro ingenua quadam judicii rectitudine non jactare Senes illos inton-

ſos cataclyſmo lotos, aut iliaca flamma expolitos, nec atavos, ut ille ajebat, vetuſtate *dimidios & auriculis naſoque carentes*; ſed purioribus ornamentis non deſtitui ingenio & virtute partis. Nam *Caeleſtinus Galianus* an. MDCLXXXI. V. Kal. Octob. *Dominico Galiano & Cajetana Turturellia* Foggiae Apulorum emporii civibus natus eſt in Apuliae Dauniae pago, quo tum illi ruſticabantur. Pronum vero eſſet in utraque familia & Epiſcopos cenſere & viros juris conſultiſſimos & cives bonos atque probatos. Sed meo quidem arbitrio dementiae proximum eſt, illum gentili, ideſt aliena gloria onerare, qui propria diſluit. Projiciunt ampullas hujuſmodi, qui ſuis nudas ſubreptis plumis ornant corniculas. Ille igitur ſic, ut dictum eſt, ortus puerilem aetatem pueriliter, ut interpretor, tranſegit: non enim, quod aliqui ſolent, prodigia confingimus in illa aetate. Imo nec memoramus puerum natum eſſe duobus dentibus inſtructum;

quibus

quibus fortuitis naturae jocis genethliaca plebecula mirabiliter ineptiret. Nec diffitemur etiam rudius domi educatum dedisse nomen more majorum Caelestinae Societati, quae tametsi floreret praeclaris ingeniis, universim tamen, ut ea erant tempora, utebatur minus eleganti genere litterarum. Post absolutum tyrocinium in eadem Apulia Aletii olim Messapiae non ignobilis oppidi, nunc principis Hydruntinorum municipii, quo Philosophiae operam daret, tres annos consedit. Pythagorica & Elaetica disciplina, quae floruit jam pridem in illa vicinia, & Architae atque Ennii popularium gloria minimum juvit, quin tota regio per id temporis Barbarie squaleret. *Universalia*, *Entitates*, *formae*, *&* *Privationes* illepida illa rudera detriti Aristotelis & rationis ludibria inquinabant Philosophiam. Crassioris minervae homines exultabant tricis & apinis. *Galianus* in ipsa animi pueritia acutius ridens irascebatur: ut

demum gerris valere jussis, Graeculo quodam forte fortuna oblato ad litteras graecas confugerit. Sed quod fertur de *Ozanamio*, qui Astrologis illudens verius ipse per ludicrum, quam qui rem serio agebant, divinabat; id obtigit *Galiano*, qui Aristoteleorum quas irridebat argutias tanta solertia versabat jocando, ut oblineret eorum saepe ora, qui contriverant aetatem in illo ludo. Hisce cavillis nihil ille sua, multum tamen ingenio posse putabatur aliorum opinione. Jussus hinc Romam commigrare, ubi theologici studii caussa ex universo sodalitio cogere lectissimos juvenes in more Gentis positum. Ibi Collegium, ut vocant, administrabat *Caelestinus Guicciardinus* vir frugi, summorum Pontificum benevolentia, Optimatum amicitiis, opinione etiam purpurei galeri nobilitatus. In amoenioribus litteris atque in veteri juniorique historia apprime versabatur, ut satis luculenter comprobatum ivit *Mercurio Campano* evulgato.

Rem

Rem vero theologicam, quamvis attigerat non oscitanter, coluerat eam tamen, quae jacebat eodem quo Philosophia deplorato fato. Videlicet divinarum originum & puriorum fontium religionis obliti Theologi Homines ad lutulentos rivulos deflexerant ut plurimum. Aristotelis & gregalium nubeculae de gradu dejecerant litteras sanctiores. Scholae atque Academiae bene multae iis disputationibus alebantur, quibus cum ignavia ingenium, cum levitate certabat asperitas. Differebatur ad ravim, saeviebatur salibus nigris, aer vapulabat, & quum nihil conficeretur deblaterando pulmonum denique vis triumphabat. Haec ferme obviam *Galiano* se tulit prostrata fortuna Disciplinae sanctioris. Conjici facile poterit an coxerit ingratiis illas illecebras, ad quas natus non erat. Ut vero conquirebat undique servitutis solatia, avibus oppido bonis incidit in opera *Renati Cartesii*, quibus post *Nicolai Mallebranchii* exemplum vi-

debatur inesse vividam quamdam vim excitandi erigendique animi. Nam proditum est memoriae, Mallebranchium fortuita lectione *Hominis Cartesii* experrectum ac veluti ictum ignoto quodam lumine tanto ambitu irruisse a semitis in viam, ut decimo anno cartesianae professionis *Inquisitionem Veritatis*, acre opus, absolverit, quo multorum rumor est vel aequasse, vel etiam superavisse Caput Gentis. Galianum non absimili contentione actum accepimus: multaque ingenii vi, multa labore improbo corripuisse ex illo Philosopho, plurima vero Geometriae inopia aciem Hominis elusisse. Hinc adjumenta, quae poterat, arcessere, & ut erat illi curta supellex, vel rem ipsam vestiariam extrudere, quo minerval penderet Geometrae Gallo. quam spartam ornabat ea vi, qua & noctes vigilaret ad ipsum mane & cibaria negligeret & inferret labem sanitati. Eam vero intemperantiam Sodales quuum vitio verterent, utebatur hoc apoph-

apophtegmate: *satius esse doctum emori, quam vitam curvi pecudis vivere*. jam vero obfirmata ista sententia eo venit, quo non solum transmitteret arduam *Cartesii* ubertatem, sed etiam lapsus cum retegeret, tum erigeret: quorum alterum erat acris, alterum liberi ingenii documentum. Ad haec *Mallebranchio* ipso felicior, quod ille ab Cartesii commentationibus ebiberit umbras & enthusiasmum, noster delibaverit mentem sanam & perspicuam. Per eos dies prodierant *Isaaci Nevvtoni Principia mathematica Philosophiae naturalis*, & *Johannis Lockii Specimen de Intellectu*. altero naturalis Philosophia, altero rationalis emendabatur. Enim vero *Galianus* emersit leni negotio a *Lockii* disputationibus: & in usum contulit quod moderabatur audaciam ingenii: quod laedebat jura Religionis sive licentia sive defectione diris devovit. Sed enim haud ita mature enatavit a *Nevvtoni* profunditate. Est enim illa Philoso-

phia

phia non modo plena geometrici atque arithmetici negotii; ſed novae *Fluxionum analyticae methodo*, ut *Nevvtonus* vocabat, ſeu *Calculo Differentiali*, ut *Leibnizius*, inaedificata, quæ Matheſis inviſa portenta tegebantur apud Tranſmarinos & Tranſmontanos arcana veluti diſciplina, ut nihil primum dilaberetur ad Italos. Deinde retectis Novae Geometriae penetralibus a *Guillelmo Hopitalio* in *Analyſi infinite parvorum*, perpauci adhuc erant in Italia, ubi tum mathematica ſtudia frigebant, qui aſſurgerent ad ea culmina. Ea propter *Galiano* in ambage difficillima nonnihil haeſit aqua. Rem arduam communicavit qua ſermone, qua litteris cum *Guidone Grandio* cumque *Manfrediis* Fratribus, tum italicae Matheſis aſyla. Lacertis vero maxime ſuis anniſus cum primis demum perdomuit indocilem calculi indolem. Cum *Proſpero Lambertino*, nunc BENEDICTO XIV. quo cum multa illi erat conſuetudo & con-

conjunctio, arbitror hoc etiam ſtudii agitaviſſe; quum ex nupero epiſtolio Pontificis Maximi ad *Agneſiam* virginem lectiſſimam cognoverim, eum olim ingenio ad omnia facto ſublimioribus etiam calculis delectatum. Illas ſalebras, quibus maxima pars hominum frangitur, quum ſibi non tantum uni relictus complanaſſet, ut quaſi jure Bernulliorum Fratrum de gloria quodammodo contenderet cum ipſis calculi inventoribus, via patuit quam latiſſima ad Nevvtonianas latebras, in quibus veluti alter Oedipus habebatur. Lucubrationes iſtae graviſſimae non occupare modo Hominem poterant, ſed obruere. attamen illi vacabat & verſare animo conſilia Theologiæ repurgandæ, & ad id evolvere authores idoneos cum veteres tum juniores: quam nec brevem, nec aequatam eſſe provinciam puto. Hinc iterare litteras graecas, hebraicas adjicere, rem criticam & diplomaticam, divinam humanamque antiquitatem; & quod influit in molem illam ingentem ſacrae

Sa-

Sapientiae summa ope versare. In quibus equidem studiis tantundem enituit memoriae vi & soliditate judicii, quantum in Philosophia acumine ingenii. Quae duae res quum pro indolis discrimine & amplitudine coeant aegerrime, ut primum evolutae sunt in juvene, eo egerunt totum illud Collegium, quo ferme barbatulum acclamatione quadam traducerent ab auditorio ad cathedram. Permotus rei novitate & gratia, quo erat ingenio ad omnem liberalitatem composito, id ratus est sibi negotii dari, ut neminem poeniteret beneficii. In eam inde curam insedit, qua detergeret Scholae veterem squalorem, atque eodem ictu revocaret cum philosophica tum theologica studia ad elegantiorem fortunam. Quod elaboratissimis Institutionibus satis promte lucubratis vertit tam fauste & feliciter, ut brevi tulerit discipulos, qui vel aequaverunt ejus spem, vel etiam superaverunt tota via. Jam volvebatur sæculi XVII. annus IX. quum

ille jussus more suae Gentis emergere a domestica umbra indixit diatribem theologicam: atque in lectissima concione & politiori Urbis frequentia disseruit de Dogmatibus theologicis, deque utriusque Instrumenti historia, ea varietate linguarum, critices severitate, eruditionis copia, atque etiam doctrinae novitate (si quorumdam caliginem respicias) ut non injuria censeretur inter expolitores rei theologicae: in quam sententiam loquuntur non sine gratulatione italicae eorum dierum litterariae Ephemerides. At quae in virtutem coeca, in virtutis praemia oculata est invidentia adoritur Hominem. In invidentiae societatem venit praeposterus amor antiquitatis, quo jam olim creditum veritatem sine barba esse non posse. Principio clam seri coeptum in aures Procerum, cubare monstrum in illa disputatione. Ventum ad delationem. dies dicta. crimini datum, quod LXX. Senum interpretationem contemneret: quod imminueret

Patri-

Patriarchas pone Diluvium: quod attenuaret Lucae authoritatem: atque innocuum caput laboravit aliis commentis ejusdem furfuris, quorum pudet historiam. Jussus de se dicere tanta sapientiae varietate atque evidentia rerum caussam egit suam, ut plus criminatione invidentium, quam laude bonorum profecerit. Certe post illam procellam in oculis omnium esse coepit. Qui Romae versabantur litterarum laude clari Homines *Lancisius*, *Fontaninus*, *Capassius*, *Blanchinus*, *Gravina*, *Mirus*, atque in primis *Prosper Lambertinus*, cujus saepe nomen repeto, ut istud Commentariolum singulari gloria perfundam, ejus consuetudine utebantur familiarissime. Qui florebant nobilitate, qui etiam purpureis insignibus illius fidei credebant, quae adamabant impense, pignora familiae & senectutis: ita ut exhedram illius frequentarent, qui mox Cardinales amplissimi, Principum Legati, Provinciarum Praetores late enituerunt.

runt.

runt. Ii quoque, qui trans mare transque montes commigrabant in Italiam, honoris cauſſa eum adibant, cujus nomen conceſſerat in ultimas uſque terras. Ad thronum demum ipſum, quo aegre irrepit vox litterarum, Viri fama percrebuit. Tum ſumma rerum potiebatur CLEMENS XI. Is ut internoſcendis erectioribus ingeniis admirabili erat acie arceſſivit *Galianum*, & coercuit omnes impetus malevolorum indicto ſilentio. Eum continenter & invitabant & urgebant Veneta Reſpub. ad Patavinum Muſeum, & *Victorius Amodeus* ad Taurinam Academiam, ut Mathematicas profiteretur. Nullis vero abripi potuit blanditiis, quod argumento eſt regnum litteratum politicis quandoque regnis dominari. Sed veritus Pontifex, ne aureis demum promiſſis flecteretur, qui flecti non potuit honeſtiſſimis invitamentis, Romae ſubſtitit volentem: atque inuſitato ſtipendio delegit ad Hiſtoriae Eccleſiaſticae cathedram in Romana

mana Academia, quam Sapientiam vocant. Subinde ut perplexae & confragosae res oriebantur, *Galiano* indigere atque uti, nec puduit Pontificem sapientissimum, nec poenituit. Arbitrabatur enim, quemadmodum Principem decet, non ideo trans hominum sortem ingenio erigi qui eriguntur imperio. Differebatur an Romam intromittenda esset numeralis Sortitio, quam Genuensem appellitabant, jucundissimum illud vectigalis genus. Erat de aleae aequitate dicendum. Corinthum istam adire non omnibus pervium. Cum *Galiano* asperioris arithmeticae calculis alto rem contulit Pontifex: utque de ludi indole & sortibus commentaretur, voluit. In *Arte conjectandi* argumentum exhausisse Bernullium putabatur. Habuit tamen *Galianus* quod lucubrato Commentario subnecteret: quo versavit tam subtiliter rem omnem, ut satis veritati fecerit & Pontifici. cum iis etiam, qui depereunt hanc aléam, non vulgarem iniit gratiam,

am, quod paulo post aucta sunt praemia victoriae. Inter haec Pontifex experimentis gravioribus *Galianum* exercuit in Mathesi: non ea quidem quae inimica materiae victitat contemplatione, sed quae vitae commodis servit & felicitati Reipub. De Padi Rhenique aquis jamdiu cis transque Padani rixabantur plus satis: nam agebatur de publicis fortunis. Concordia Gentium & malorum levamenta identidem conquisita: consultationes & opera Hydrometrarum adhibita: *Johannes Dominicus Cassinus*, & *Dominicus Guillelminus* in deliberationem acciti. Non defuerunt sumtus immanes, non aegre tamen ferendi, si non defuisset operae pretium. Sed jugiter oppugnabatur calamitas, numquam expugnabatur. Ne vero res eo rediret, quo nec ferri mala nec remedia possent, qua erat vigilantia Pontifex anno XVI. supra MDCC. ut consuleret rerum perversitati Bononiam misit *Dominicum Riverium* tum Praesulem ornatissimum,

mox Cardinalem; eique aquarum curatori delecto a mathematicis consiliis adjecit *Galianum* & *Grandium*. *Eustachius Manfredius* Bononiensi S. C. ab usque anno MDCCIV. rei aquariae Praefectus vocabatur in partem maximam consultationum. Quum vero inauspicacato res cessisset propter oppositas rationes finitimarum Gentium, quatuor inde annis repetitur. *Riverio* sufficitur *Rinuccinus*, quem idem Mathematicorum par comitabatur. *Latermannus* caesarianus administer, *Cappellus* venetarum partium curator, aliique legati atque artifices urbium, quorum non levia tum vertebantur momenta, concione coacti sunt. Publica res, ut par erat, publice & solemniter acta. Itum per omnes artis atque ingenii vias, quas laudati triumviri sternebant. Certe ille Isthmus fato quodam impenetrabilis non est effossus: satis tamen luculenter demonstratum, atque etiam finitum, Rheni aquas in Padum exoneratas nulli finitima-

rum

rum gentium nocituras. Sed reor Deo ſoſpite BENEDICTO XIV. opus maximum reſervari, ut immortalium augeat facinorum gloriam Patriae vaſtitate deleta. In iſtam enim vero curam continenter ſedet. atque ſecum excubat operi ingenio, quo valet plurimum, ſedulitate, aere, diſcrimine etiam ſuo *Georgius Cardinalis Doria*, quem honoris cauſſa nomino. Magna hactenus cum pecuniae vi, tum Hydrometrarum ſcitis (*Galiani* nunc etiam conquiſita ſententia) effoſſum eſt incile VIII. M. P. ob patriam caritatem Pontificis Maximi nomine donatum, quo rectius dilabantur in Paduſam Foſſam aquae pluviae ſubſidentes & Rheni Idiciſque ſtagna & eluvies hibernae atque aliae profluentes. Aqua elementum verſipelle olim colluſit graecas & romanas vires. Magno etiam huic operi adhuc immaturo fraudes quaſdam nexit. numeris vero ſuis abſoluto irritos auguramur nivium atque imbrium conatus: ut optimus Pontifex de

Isthmo perfosso deque Patriae luctu deterso triumphum agat. Per idem tempus de aquis Clanis vetus discordia recruduit inter Etruscos & Romanos. Memoriae proditum, ab usque Tiberii aetate, quum Tiberis eluvies gravem Romae labem intulisset, de remediis cogitatum: profluentes, quae tiberinas aquas augerent plus nimio, arcendas: Clanim praesertim detorquendum in Arnum, ut videlicet Florentiae pernicie Roma servaretur. Illa vero atque aliae Urbes, in quibus cudebatur eadem faba, quo diflarent procellam, urgebant lepidum genus argumentorum. Abactis fluviorum tributis Tiberini Patris gloriam comminutam canebant: polluta terminalia sacra, quibus suffragabatur ipsa natura: Diis fluvialibus deturbatis de Religione plurimarum Gentium conclamatum. Ut vero saepe numero commodius veneunt tricae, quam ipsae rationes, data Etruscorum verba Senatum de consilio depulerunt. Ad rem tamen deinde re-

de repetitum. Solido muro, qui nunc etiam manet, duo montes conjuncti: interclusa vallis, per quam Clanis fluebat in Tiberim, facta in muro rima, qua arbitrio transmitteretur aqua. ALEXANDRO VII. Pontifice excitatae sunt veteres simultates, quibus leniendis contulerunt summam quidem, imparem tamen opem *Jo. Dominicus Cassinus*, & *Vincentius Vivianius.* Iterabantur eadem diffidia CLEMENTIS XI. diebus. Adimendis jurgiorum seminibus & consociandis voluntatibus in Etruriam primum solus deinde cum *Riverio Galianus* mittitur. Res minus prospere cessit propter exasperatas sententias. Sed quae ingenio vinci non potuit controversia necessitate resedit. Romam tandem regreditur abunde probatus praemiisque gravis plus etiam quam vellet, ut saepe urbano joco dicere consueverit: *O sanctas aquas!* Interea rerum studiis & nomine domi forisque clarus in Abbatum numerum cae-

lestino more cooptatur. Sed, residendi lege ab indulgentia Pontificis relaxata, Roma non excessit. ibique deinceps auctus procuratione negotiorum suae Gentis apud S. Sedem, qui ut in aliis, est in ea Societate magistratus luculentissimus: eoque non solerter modo, sed etiam eximie perfunctus os obstruit indoctis, qui litteratos Homines fatiscere curis civilibus ogganniunt. Atque haec ἐποχή quaedam est traducti Hominis a doctis ad politica studia. cui tamen transmissioni non ita ille haesit, ut non transfugeret aliquando ad veterem disciplinam. Quum vero in ingentem opinionem civilis prudentiae venisset, atque putaretur eadem acie & hyperbolas parabolasque metiri & viscera Reipub. cum saepissime a Primoribus, tum perpetuo ab *Alvaro* Cardinali *Cienfuegosio* adhibebatur gravissimis deliberationibus: in quibus fuit palmarium quod de Siculae Monarchiae juribus jactabatur. Nam ex veteribus iisque laxissimis concessionibus dimanavit quaedam series contentionum

inter

inter Romanam Sedem & Siciliae Reges, qui fartas tectasque tuebantur illas largitiones. Eas CLEMENS XI. aut rejecit qua falsas, aut qua veras rescidit. hinc defectiones & turbae. Post diuturnam Iliadem malorum dedita sibi demum Sicilia *Carolus VI. Augustus*, qui cupiebat Religione magis augeri, quam imperio, aequioribus momentis librari controversiam apud BENEDICTUM XIII. *Cienfuegosio* edixit. *Prospero Lambertino* pendenda solertissime pontificia jura concredita: *Galiano* tradita augustea. Agentibus Ingeniis tam magnis, integra Principum amicitia, quae procella putabatur, soluta est in miram quamdam serenitatem. His experimentis in dies jacebat hebetior ea vox, non hominis illa quidem, sed bovis, eo videlicet ineptius erudita capita puerascere in rebus agendis, quo gravius senescunt in litteris. Ea propter eodem, quo acta res sicula, anno MDCCXXVIII. *Theodorus Carlius* popularis meus humanis di-

vinisque litteris & morum integritate spectatissimus, qui tum Caelestinorum fastigio potiebatur, eo remis velisque contendit, quo sibi magistratu abeunti *Galianum* sufficeret. quod quum fauste feliciterque vertisset, qui satisfecerit muneri gravissimo publica non modo laude, sed etiam admiratione, interpretari proclivius arbitror, quam dicere. Illud certe incurrit in omnium oculos, quod ad Capitis exemplum compositis artubus Societatis Caelestina Gens in musas omnes politiores effusa est, quam quae maxime: clarisque postea ingeniis tam ubertim diffluxit, ut magistros dimitteret in principes Italiae Academias nullam Domi inopiam perpessa. Labebatur tertius illius Praefecturae annus, delatumque *Galiano* est, se ad Archiepiscopatum Tarentinum vocari. Sive singulari Hominis temperantia, sive ingenio Tarenti, quod non ita Viris & bonis artibus affluit, ut piscibus, impositam personam videbatur graviter ferre.
Ut

Ut vero decebat Virum Religione penitissime institutum, conquievit Dei praepotentis arbitrio. Atqui Tarentum appellenti *Harracchii* Proregis litterae in ipso itinere redditae, quibus inscribebatur major Regni Aedituus. Repentino casu, ut fit, ictus primum haesit animo quid ineundum consilii: deinde Tarentum profectus partim *Caroli Augusti* clementia, partim invitamento Proregis, quocum intima illi familiaritas, acrius vero inopia eruditae consuetudinis permotus demum pedibus ivit in *Augusti* sententiam: atque Tarentino nomine cum Thessalonicensi commutato auctus splendidis insignibus Neapoli consedit. Accessit illi quoque Neapolitanae Academiae Praefectura, in quam *Augusti* judicio, & litteratorum voto elatus utro afficeretur lautiore honestamento haesit anceps. Indubium hoc certe: rediisse tantundem ornamenti in dantes, quantum in accipientem emittebatur. Nam poterat illa quidem Academia fulciri

praefectura opulentiori: ſapientiori vero non poterat. Afflicta tum illa ac ferme profligata jacebat: armorum ſtrepitus & militaris licentia invaſerat pulcherrimas aedes muſarum, inque ſtativa converterat. Magiſtri extorres & pulſus auditorum grex alio ſe receperant miſerum in modum. Accedebat penuria ſtipendiorum, quae ſaepe devolvebantur ad graecas calendas. Quum vero primum *Galianus* praefuit rei litterariae, inſedit totus in eam mentem, ut litterae poſtliminio remearent ad notas ſedes: obque viri auctoritatem deleto ſqualore bellico ac veluti Augeae ſtabulo repurgato poſt XXX. annum foedae profanationis Muſarum Domicilium priſtinae ſanctitati reſtitutum dedicatumque eſt. Sterilibus ſubinde Cathedris reſectis, aut quae veteres frugiferae erant, mercedibus auctae, aut novae purioribus diſciplinis evulgandis inſtitutae. Vectigal etiam Academiae, ideſt baſis & alimentum ſtudiorum, amplificavit muneribus

& hae-

& haereditatibus, non ſubreptis captatione teſtamentorum, ſed partis gratia & amicitiis. Hinc reputavit animo honeſtiori facie illinire illam partem aedium compoſitam in hemicycli formam, ubi ſubeunt terribile quoddam arenae genus, qui de vacuis cathedris Candidati confligunt. Animum etiam convertit ad aulam mirae laxitatis, cujus abſolvit ampla laquearia: & ſupremis vitae annis dabat operam pluteis in uſum lectiſſimae Bibliothecae in illa aula conſtituendae publicae utilitati. Sed enim eo majorem gratiam iniit cum bonis omnibus, quod coegit Societatem Scientiarum Ingeniis clariſſimis conflatam, Doctis machinamentis, Virorum Principum tutela, annuo etiam cenſu, quod caput eſt, communitam: qua forte Lutetiae ac Londino Neapolis non invidiſſet, niſi avibus plane nigris rudimenta praeclari operis ſubruiſſent partim ſodalium diſceſſiones & facta incommoda, partim miſera conflagratio omnium

machi-

machinarum, ac belli denique apparatus. Caeterum strenui nisus gloriae ne hilum arbitror quidem detractum illa clade imo vero ex ipsa Societatis ruina id laudis mea quidem sententia accedit Institutori benevolo, quod consurgeret ex ipsa stante. Ut vero regrediar ad continentem rerum seriem, a qua persequendis illius Academiae satis exorbitatum est, secundo anno ab *Galiani* Neapolim appulsu, qui vulgaris calculi annus MDCCXXXIV. *Carolus Borbonius Philippi* Hispaniarum Regis F. Neapolis & Siciliae Regna jure belli in deditionem redegit. In illa vicissitudine fortunae ut magnifica sibi pollicebantur Hispanorum fautores; ita contabescebant trepido animo, qui Germanis partibus inhaeserant. Cum primis *Galiano* austriacis beneficiis iisque recentibus elato ingruere calamitatem, jactabatur sermonibus publicis. Ille vero, quod decebat Virum insontem & sapientem, nihil veritus atque etiam hilaris in omni fortuna amicorum querelas

las de instanti discrimine compressit memorabili verbo. *Splendidis hisce* ( inquit ) *impedimentis excussi nihil amittimus solidae felicitatis, Amici. modo cella apud veteres Sodales librique sint reliqui, in vado res est.* Magno hoc animo quid de sua sorte Hispanus moliretur, ne cogitabat quidem. Ipsa Hominis apathia ipsaque spectata erga Austriacos fide Rex *Carolus* permotus non modo illum non deturbavit, sed gravi consilio ratus e re tantam virtutem adducere in suas partes eum excepit amica verius, quam regia comitate: cum a sacello confirmavit, tum a consiliis delegit, atque fatidico prope animo devovit futuris Regni casibus. Subinde ea fuit in illum Regis benevolentia eaque opinio sapientiae & probitatis, ut praeter ambitiosum ingenium & aulicam animam nihil videretur defuisse ad summas fortunas. Tribus annis post occupatum Regnum ab Hispano Milite oneratus regiis negotiis Romam mittitur. Primum

mum agebatur de possessionis capiendae venia Regi *Carolo* impetranda a Pontifice. Ardua res ac plena aleae: quum non adhuc irae deferbuissent Austriacos inter & Hispanos. Explicita tamen compendio est. Inde itum in implicatiora. Inter Romanam Sedem & Neapolitanos Reges de juribus utriusque Potestatis volvebantur nodi supra modum perplexi, quos post plurima facta pericula ineundae concordiae putabatur scindi potius, quam explicari posse. Cum enim perdifficilis est omnis quaestio de finibus, qui terminantur linea quadam geometrica, tum difficillima est ubi disputatur de finibus authoritatis. CLEMENTE XII. Pontifice complanandis rerum asperitatibus coactus est conventus amplissimus, sed re infecta dissolutus est sive propter obitum Pontificis, sive propter ipsam ambagem. Jam vero christiano nomini auspicatissimo anno XL. supra MDCC. quippe quo principis orbis terrarum subsellio consedit nihil tale cogitans BE-

BENEDICTUS XIV. P. M. Romam *Galianus* remigravit ab Neapolitano Rege quam latissima agendi facultate insignitus. Illum Pontifex suis genibus advolutum complexus ut veterem familiarem, quae sua facilitas est, privatis primum alloquiis adhibuit: postea de gravissima jurium quaestione cum *Sylvio Valente Gonzaga*, cum *Trojano Aquavivio*, Cardinalibus ornatissimis, cumque ipso *Galiano* differendo, jactatissima illa inter utramque Potestatem *Concordia* brevi sublatum est vetus dissidium, quo jamdiu omnis ferme hominum prudentia fatiscebat. Quum vero facile eveniat in his disputationibus, ut hinc paretur benevolentia, illinc invidia, prodigio cuidam tributum, quod *Galiani* integritas neutri parti displicuerit. Nam & humanissime & plausu quodam a Rege Carolo exceptus instituendi tum Ordinis Equitum S. Caroli Magnus Cancellarius, ut vocant, deligitur, atque stipendio conduplicato praeficitur novo

Judi-

Judicum Collegio, quod *Mixtum* dicunt: & illud etiam accepimus circumlatum opinione publica, Pontificem maximum cogitantem explere Cardinalium Senatum Viris religione, authoritate, sapientia clarissimis intentos oculos in *Galianum* convertisse. Quid vero intercciderit rei, quominus id prospere verterit, non una sententia est. Alii narrant, ut sunt hominum divinationes, politica momenta, alii Candidati abstinentiam. Mihi nec hariolari placet, nec decet. Tres cum post haec annos regiis negotiis implicitus transegisset, non alienam modo, sed lepidam etiam personam suscepit. Jam illum litteris aula subduxit: mox bellum subripuit & litteris & aulae. Postea quam enim constituit Rex Carolus Veliterno bello non praeesse solum, sed interesse, sive propter pietatem, quam non omnes milites contemnunt, sive propter mathematicas disciplinas, quae perinde domi atque militiae contemni non possunt, *Galianum* in comitatu se visurum liben-

libenter significavit. Quod ubi delatum est, non ille umbratili vita emollitus concidit animo: sed laetus jocatusque etiam Socratis & Xenophontis exemplis se dedit in bellicum comitatum. Quinque minimum menses ad Velitras consedit: periclitatus est etiam: & decursionibus hostium direpta domo caruit supellectile, quae regia largitate e vestigio instaurata est. Hoste demum amoto Romam religionis ergo venit cum Rege, atque cum illo Neapolim revertit inter omnium ordinum acclamationes. Ibi summo in honore nonum jam annum haerebat, quum capite, quod vitiaverat labore improbo, coepit conflictari. Vel morbo, vel remediis gravius ruit in dies. Ut vero sensit urgere mortalitatem in Religionem, quam bene valens impense coluerat, impensius etiam moriens effusus; atque supremis sacris confirmatus apoplexia ictus animam egit VII. Kal. Quintil. anno D. Ae. MDCCLIII. aetatis suae LXXII. Haere-

des

des ſcripſit ex aſſe Fratris filios duos: qui ſe tamen plus amant in patrui inſtitutione & gloria, quibus & docti ſunt & clari, quam in ipſa haereditate. Corpore fuit ille procero, colore ſubnigro, brevi fronte ac prominenti, late piloſis ſuperciliis, quibus nonnihil aſperabatur ingenua quaedam oris dignitas. Ingenio utebatur recto & acri, memoria incredibili, ut magis videretur indigere oblivionis arte, quam memoriae, quod de Themiſtocle dictum eſt. Laboris patiens & vigiliarum flexerat animum ad omne diſciplinarum genus. Maximam vero operam navaverat naturae & Religioni. Polyhiſtor & univerſim audiebat & erat: ut vir gravis *Euſtachius Manfredius*, ſi quando de *Galiano* intercideret ſermo, dicere conſueverit: Mathematicas diſciplinas minimum eſſe quod *Galianus* calleret. neminem ſe vero noviſſe, qui vel illum in Matheſi antecelleret, vel etiam coaequaret. Nec flagrabat gloriolae cupidine, nec zelotypia:

pia:

pia: quae duae aegritudines magna saepe Ingenia labefactant. Maluit esse doctus, quam videri: & si quod novum hauriebat fundo suo procul ab aegyptio mysterio prodigebat. Pythagorico & socratico exemplo nihil usquam gentium, ne vexatus quidem, typis edidit in vulgus. partim quod improbabat scriptitandi cachoetem, quo plus mole, quam momento crescit supellex libraria: partim quod pro singulari pudore verebatur litterata praelia & publica suffragia. Quod impervium ferme in homine mathematico, loquebatur & eleganter & multum, ut loquax taciturnis diceretur. Sed illa copia manabat a pectore docto & bibliothecam jugiter sapiebat. Non affectabat granditatem stoicam nec frontem caperatam, qua tenues animae contegunt levitatem. Sed quum saepe mente peregrinaretur, ut obvios nec salutaret, nec videret, qui cute tenus eum noverant, fastum rebantur illam alienationem. Caeterum cum Amicis comis & elegans urba-

urbanis falibus delectabatur tam alacriter atque venuste, ut videretur curis vacuus & natus ad omnem leporem. Inimicitiarum, si quae erant, minimum anxius splendidas & certas amicitias putabat ditissimum lucrum. Maxime vero exultabat duplici gloria. cum Sylvii Valentis Gonzagae necessitudine, tum clementia BENEDICTI XIV. quorum alterum civilis prudentiae lumen, alterum saeculi & ingeniorum prodigium, ut res est, perpetuis verbis nominabat. Eximia erat erga Regem fide: & munere defungebatur suo non sancte modo, sed etiam superstitiose, si qua modo est in officiis superstitio. Nec querulus fuit, nec petitor, ut in aula. Proinde visus minus commodus amicis, sibique nullum quaestum, nisi sponte oblatum, fecit. Decessit tamen dives: plus fortasse, quam Philosophum, minus certe, quam aulicum decebat.

FINIS.

Me.